

sine vestro damno valeant commanere, faciant utilitatem in publico, sicut et caeteros populos ».

Tunc providimus nos missi domni Imperatoris, ut Ioannes dux dedisset vadia, ut omnia prelata superposita, glaudatico, herbatico, operas et collectiones, de Sclavis et de angariis, vel navigationes emendandum: et ipsas vadia receperunt Damianus, Honoratus et Gregorius. Sed et ipse populus ipsas concessit calumnias in tali vero tenore, ut amplius talia non perpetrasset. Et si amplius istas oppressiones ille aut sui haeredes vel actores fecerint, nostra statuta componant.

De aliis vero causis stetit inter Fortunatum, venerabilem patriarcham, seu suprascriptos episcopos, sive Ioannem ducem, vel reliquos primates et populum, ut, quicquid iurati recordarent et dicerent secundum suum sacramentum et ipsas breves, omnia adimplerent, et qui adimplere noluerint, de illorum parte componat coactus in sacro palatio auro mancosos lib. novem. Haec dijudicati et convenientia facta est in praesentia missi domini Imperatoris Izone presbitero, Cadolao et Ajoni, et propriis manibus subscripserunt in nostra praesentia.

+ Fortunatus, misericordia Dei patriarcha, in hac repromissionis cartula antefacta manu mea subscripsi.

+ Ioannes dux in hac repromissionis cartula manu mea subscripsi.

+ Stauratius episcopus in hac repromissionis cartula manu mea subscripsi.

+ Theodorus episcopus.

+ Stephanus episcopus

+ Leo episcopus

+ Laurentius episcopus.

(S. N.). Petrus, peccator, diaconus sanctae Aquileiensis metropolitanae ecclesiae, hanc repromissionem ex iussione domini mei Fortunati, sanctissimi patriarchae, seu Joannis, gloriosi ducis, vel suprascriptorum episcoporum et primatum populi Istriae provinciae scripsi et post roborationem testium cartulam roboravi.